ORATIO
IN FUNERE
CAROLI VII.
ROMANORUM REGIS
IMPERATORIS ELECTI

Habita in Pontificio Quirinali Sacello
III. Id. Martias Anni CIƆ IƆ CC XLV.


AD SANCTISSIMUM D. N.

BENEDICTUM XIV.

PONT. OPT. MAX.

A THOMA ANTONIO DE EMALDIS.





ROMAE

APUD JOANNEM MARIAM SALVIONI
TYPOGR. PONTIFICIUM VATICANUM.

M. DCC XLV.

SUPERIORUM PERMISSU.

BEATISSIME PATER.




VEM Caesarem te mittente noveram, eumdem vita functum palam, & aperte deflevi, meisque lacrymis obsecundare visus est frequens, & spe-


ctatissimus Audientium consessus. Delituisset profecto in tenebris, atque intimo cordis mei moerore sepulta funebris haec lamentatio; propterea quod mihi neque videretur par censorio sustinendo judicio, neque tanto digna Imperatore, quem laudandum, lugendumque susceperam. Quoniam vero jussu tuo in publicum prodire cogitur, cuinam potius sistenda, quam tibi? Etenim si quemadmodum inquit B. Ambrosius - in obitu fidelium Imperatorum, quidam fidei pudor, quaedam Ecclesiae verecundia est, & in tam immatura morte piorum Principum omnis Ecclesiae maestior

pul-

pulchritudo est - *Tu Pontifex Maxime, qui tanto virtutum tuarum splendore Romanam Ecclesiam exornas, eamdemque quodammodo pulchriorem efficis, venies utique in praecipuam hujus maestitiae partem. Etenim certum est* CAROLVM VII. *ex Willelmi Familia semper, & quandocumque catholico nomini addictissima procreatum, optime adeo de Apostolica Sede meritum fuisse, ut nemo dubitet, quin aureis litteris ejus memoria sit nostris annalibus consignanda. Dum itaque piissimum hunc Caesarem, Te universam Ecclesiam moderante, datum nobis fuisse gaudeo,*

& tam celeriter ereptum doleo, Sanctissimos Pedes humillime deosculor. Dat. pridie Kal. April. Anno CIↃ IↃ CC XLV.







Itum, BEATISSIME PATER, quum edito ex hoc loco jussisti me dicere hodierna die, illud fortasse spectabas, ut quum in caeteris funeribus Oratores plerumque adhibeantur, qui inanem doloris referentes imaginem, querelas e medio sumunt, sciteque jactant, at nullo intrinsecus moerore afficiuntur, is potissimum in CAROLI VII. Romanorum Imperatoris electi morte verba faceret, qui ipsius virtutibus propius aliquanto perspectis ex animo loqueretur, concionemque ipsam veri doloris explicatione

commoveret, neminem profecto poteras idoneum magis, magisque perculsum ad haec parentalia designare: Verum intermissa studiorum meorum consuetudo, suscepta itinera, atque aegritudines effecerunt, ut minus certe quam antea expectationi tuae, majestati hujus loci, dolori ipsi meo respondere possit Oratio. At enim vero, si tanta est vis, atque potentia summae virtutis cum maxima dignitate conjunctae, ut ipsa per se nullo verborum apparatu omnium oculorum aciem fulgore suo perstringat, si ità instituit nos, atque formavit natura, ut quum virtutem hanc ipsam labefactari, variisque, & aerumnosis fortunae casibus vexari, & concuti videamus, tunc stimuli quidam pietatis humanis praecordiis alte defixi dolorem in nobis excitent, laudem vero vel ab invitis extorqueant, non dubito profecto, quin licet incompta nimis rudisque prodeat Oratio mea, non dubito inquam, quin dum CAROLI VII. acerbissimum, eumdemque inopinatum casum meminerit, aliquem maeroris sensum sit expressura: praesertim amplissima hac in Urbe, quam iterum, ac tertio invisendam sibi incolendamque duxit coram Augustissimo hoc Senatu, quem praesens, & absens quocumque in dignitatis, atque honoris gradu esset, omnibus benevolentiae, & observantiae argumentis est prosequutus, apud Beatissimam Petri Sedem, quam impense adeo venerabatur, ut quicumque

que

que impoſterum futuri ſunt Caeſares , ipſum aequare, ſuperare certe nemo poſſit . Horret enim animus ſuſpicari, in media hac Terrarum Orbis luce, ubi Religio, & Virtus perpetuum ſibi domicilium poſuiſſe videntur , extrema haec pietatis officia non tam ſupremae illius Dignitati, quam virtuti , & Religioni debita haud ex animo quempiam perſolvere.

Neque vero quiſquam veſtrum Auditores exiſtimet , me ad praeclariſſimi Caeſaris laudationem funebrem accedentem, ejuſdem familiæ, vel ditionis , vel armorum jura ſuſcepiſſe tuenda ; Satis enim didici Reges omnes ſuſpicere, quorum cauſae, quaecumque eae ſint, ſi in Belli diſcrimen adducantur , perperam ni fallor , & inconſulto ab ijs propugnantur, a quibus neque armis, neque conſilio juvari poſſunt. Tantum enim abeſt, ut ex hiſce privatorum ſtudiis, & contentionibus, quae paſſim ignorantur , aut tamquam ſomnia , & (Italiae noſtrae pace dictum ſit) deliramenta ridentur , aliquid capiat emolumenti Reſpublica, quin potius ipſius plerumque tranquillitas civili diſſenſione turbetur . Doleamus ſane, & perenni lacrymarum fonte proſequamur oportet tantam Chriſtiani ſanguinis effuſionem , emittamus ad ſuperos diuturnas preces , ut *qui dominatur a mari uſque ad mare , in cujus manu ſunt Principatus , & Regna* - nobis tandem aliquando placatior fiat. Quapropter ſi qua alicujus de

me

me erga illum ſtudij veſtris mentibus haeſit opinio, propterea quod ſemel iterumque miſſus, fuerim ab eo ſaepius exceptus humaniter, multiſque benevolentiae argumentis ornatus diſceſſerim, hanc quaeſo deponite: quas enim communes noſtrorum temporum calamitates publice in ejus Aula ſum deprecatus, cur in hujus Urbis conſpectu non defleam? Neque committam profecto, ut a quibus ſemper abſtinui dum viveret, ea nunc perſequar recenſendo, cum a nobis exceſſit: Ingenita haec illi erat animi celſitudo, ut quamvis in maxima rerum fluctuatione poſitus, nonniſi quæ expetenda forent, ſibi duceret tribuenda, neque ſuccenſebat huic Italiae parti, ſi quae a Germania jure Imperij deberi ſibi arbitrabatur, a media, & neutrius partis Gente non praeſtarentur. Tanta eſt, tamque ampla ejus laudandi materies, ut ſi laudavero, in nullius offenſionem cadere pertimeſcam, nec vereri merito poſſim, quin juſti rerum aeſtimatores aequi mihi, bonique conſulere velint. Etenim id unum a vobis peto, ut liceat mihi ſuper ejus tumulo effundere lacrymas, & quae hactenus premebam ſilentio, ne propter invidiam temporum opinaretur quiſpiam, me ideo in illius laudibus occupari, ut audientium animos eo delinimento præjudicatos ad favendum Bavaricae cauſae allicerem, nunc ipſo jam vita functo, omnique ſuſpicione depulſa, palam depromere: Juſtane autem ſit, & communis bonorum

rum

rum omnium haec doloris causa, vestrum erit judicium.

Ac principio quidem ordinem quaeso, rationemque dicendi non expectetis ab eo, quem & abripit doloris aestus, & tanta rerum confertim sese offerentium copia circumstat, ut non minima haec me cura sollicitet, unde potissimum exordiar: Anne ab altissimo Bavarici generis sanguine? At quis vestrum ignorat Noricorum Ducum originem in ipsa sui vetustate abditam, atque retrusam, nec inferius quam ab antiquissimis Caroli Magni temporibus repetendam, inter caeteras, quae per universum Orbem summa nobilitate praefulgent, esse clarissimam, nisi vero ad peculiare CAROLI VII. decus pertinere putemus, quod tantam illi natura genuit ingenij vim, tantamque animi magnitudinem, ut quicumque amplissimus honoris gradus illo fuisset minor, nisi Regius, atque Imperatorius. An ab oris, & totius corporis dignitate, ex cujus aspectu imago quaedam ingenitae majestatis emicuit? An vero ab incomparabili suavitate, & elegantia morum, qua quidquid aut diceret, aut faceret, tanta moderatione, temperantia, & liberali quadam specie condiebat, ut ad devinciendos omnium animos, & mirabilem sui excitandum amorem, consulto a natura factus videretur? Recenseam ne armorum, equorum, aliasque palaestricas, & gymnasticas exercitationes, quibus aptissima quadam membro-

brorum compositione, & consentanea totius corporis habitudine sic utebatur, ut si alius quispiam idem praestaret, immortale decus, vel inde consequeretur? Num liberales artes, & pacis alumnas litteras, quas cupide fovebat, & excolebat impensius, nisi ut praedicem nullum fuisse negocium tantae difficultatis, aut molis, quod sine interprete non intelligeret, quatuorque linguis non explicaret, absolveretque, quas ita callebat, ut in Germanica minus quam in reliquis doctus haberetur; Italici vero sermonis usu adeo sibi indulgebat, ut Italicis quoque Musis fuerit oblectatus. Sed quid Italicas Musas commemoro? Italos quoscumque potissimum vero aeternam hanc Urbem omnium Terrarum arcem, & principem sic adamavit, ut dulce sibi putaret, quod communis hujus Patriae pacem Imperatorio nomine numquam se perturbaturum fore putaret. At haec quae in aliis maxima fuissent, in ipso erant levissima.

Loquarne igitur de militaris artis gloria, qua summus Imperator sine dedecore carere non potest: Prognatus ex fortium Virorum Gente nihil magis gestiebat animo, quam bellicas majorum suorum laudes aemulari; Quapropter vix pueritiam egressus sub Austriacis signis militiae tyrocinium posuit, Duce, atque Magistro magno illo, qui Turcarum fuit terror, Eugenio, qui ubi per totam illam foelicissimam

ſimam expeditionem vidit inclytum Adoleſcentem non ſolum quaecumque gregarij Militis munia ſedulo obeuntem, verum etiam in Tauruni expugnatione inter prima agmina manus cum Hoſte alacriter conſerentem - *Video*, inquit *Filium ex me accepiſſe, quae Ego à Patre ejus Maximiliano didiceram* - Quoniam vero inter hujus funeris luctum poſtremi quoque Belli initia non ſine lacrymis meminiſſe cogimur (etſi enim militaris virtus per ſe laudanda, Eccleſia tamen mitis animo ſanguinem perhorreſcit) quanta fuit in illo inſtaurando celeritas? Quanta in victos clementia? Quanta in ſubactas Provincias moderatio, & continentia? At omnipotens rerum omnium arbiter Deus - *cujus Judicia imperſcrutabilia ſunt* - qui non ſecundos praeliorum exitus, ſed alias palmas alioſque triumphos a CAROLO depoſcebat, effecit, ut excogitata ab ipſo Belli inſtruendi ratio ſemper in irritum caderet: Quem igitur neque lacrymae amantiſſimae Conjugis, neque chariſſimorum Liberorum gemitus, & angores retinuerant, quin in medias acies nudato enſe procurreret, publica Imperij ratio, Faederatorum conſilia retinuerunt. Superatus eſt abſens, ſed praeſens omnino numquam; vinci aliquando potuit, cogi non potuit; praeripuit illi fortuna non victoriam, ſed locum tempuſque vincendi. Verum iſthaec a nobis miſſa ſunto, non in CAROLO ſolum, ſed in quocumque Chriſtiano Principe numquam ſatis ſuperque lugenda. In-

Invitat enim me fulgidiſſima virtutum cohors, qua ſtipatus Regni gubernacula moderabatur: vocat juſtitia, qua Judiciorum corruptelis ſolemniter damnatis, jus unicuique celeriter tribuendum mandavit; Vocat integritas, qua juſſis ad concionem cujuſcumque ordinis Adminiſtris palam edixit, ne ſtrenas, & lautia extra ordinem reciperent, aliaſque pravas conſuetudines abolevit; aſſiduus in negociis tractandis labor; mira in conſultando ſedulitas, in conficiendo celeritas, accuratiſſima in publicis impertiendis muneribus vigilantia, cum dicere conſueviſſet - *Reges in hac Reipublicae parte Judices eſſe, non Dominos* - Acerrimus ingeniorum aeſtimator, non primae, uti olim apud nonnullos Caeſares, ſecundae, tertiaeve admiſſionis amicos habuit, eos dumtaxat benevolentia complexus, quos exiſtimatione dignos cenſeret. Quamobrem quoſcumque per Germaniam ſapientes Viros invenit, vel inter Familiares, vel a conſiliis adſcivit, inter quos ſpectatiſſimum Praeſulem geſtiſque muneribus tota Europa clariſſimum, quem indigitaſſe ſufficiat, advocavit, rogavit, induxit, ut ejus praeſtanti virtute, atque prudentia nixus, regimen auſpicaretur Imperij, & univerſae Reipublicae componendae egregiam, & ſalutarem impenderet operam. Qvibus exequar verbis invictam patientiam, qua miſerorum preces, & querimonias audiebat humaniter, quibus eximias lar-

gitates,

gitates, & ſummum de omnibus benemerendi deſiderium, quo amittere ſe putabat quidquid in aliorum non conferret emolumentum.

Neque vero fingi haec putetis, quae patent, quae nota ſunt omnibus, loquor enim noſtra hac qua ille vixit aetate, alloquor eos, quorum plerique illum noverunt, vel quibus eſt familiariter uſus, loquor quae mox in publicum proferenda, non ſine meo dedecore facile redarguerentur; de CAROLO enim praedicari merito poterat - *& quae diviſa beatos efficiunt, collecta tenes* - quae cum aliis quoque Regibus non diffitear ego quin poſſint eſſe communia, haec tamen illi propria, & ſingularia fuere, ſumma nempe magnanimitas, atque clementia, qua pleriſque omnibus, licet in comitiis contra ſtetiſſent, lubentiſſime neque rogatus, pepercit, eoſdemque quaſi jacentes extulit, & priſtinam eorum dignitatem amplificavit, incredibilis quaedam fortitudo, & ſtrenui pectoris robur, quo inter maximos rerum ſuper alias decidentium fluctus, tot tantaſque ſuſtinuit aerumnas, pericula, labores, itinera, acerbiſſimos rerum eventus, foris, Domi, ab Hoſtibus, ab Amicis, in corpore, in animo, in quibus, mirabile dictu, licet natura ingenioſus, vividus, & ad iracundiam proclivior eſſet, adeo ſe continuit, ut ne vultum quidem mutaret, ſed compoſito ad majeſtatem ore, magnus animo, major adhuc imperio ſui adverſae

ſibi

ſibi fortunae vim, & injuriam ſic perferebat, quaſi aliorum infortuniis tantummodo moveretur. Verumtamen haec una vox nonnumquam ex ipſo erumpere audita eſt - *Summe Deus, ſi mibi non parcis, ſaltem Familiae parcas, & innocentibus liberis, quaeque juſta ſunt ſanguini meo retribuas* -

At enim vero cujas iſta vox eſt, quae auribus meis inſonuit, qua nempe Religio me quodammodo interpellare videtur, & praereptum ſibi huc uſque dicendi locum lamentari: Faceſſite hinc pauliſper virtutes reliquae me undique circumſidentes quaſi ſymbolam unaquaeque certatim ad ſermonem hunc meum conferre contendatis. Fateor me vidiſſe omnes in ejus Imperij ſocietatem adſcitas, vos per dies, perque noctes in conſilium adhibuit, veſtro comitatu cinctus vel aſcendebat Equum, vel Jus ex Solio dicebat, ſermocinabatur, convivabatur; verum quandoquidem nec vos latet, quam ſancto in loco mihi ſit differendum, & quare diem hanc ſui juris facere Religio poſtulet, quae multa idcirco de vobis adhuc dicenda ſuperſunt, ampla materies erunt laetioribus ingenijs ad ſcribendum propoſita.

Ingredior jam ut videtis Auditores Religionis Sacrarium. Natus CAROLUS in Boijs, in ea ſcilicet Germaniae parte, quam haeretica labes venefico afflatu inficere numquam potuit, natus in ea Domo, quam eximia in

rem

rem christianam merita, quamplurimae sacrae aedes, aut extructae, aut ditatae, amplissima & instituta, & dotata Sacerdotia maxime honestarunt, Ortus ex ea progenie cui singulares laudes a Tridentina Synodo delatae fuerunt, ex iis Parentibus, quos Germaniae Antistites contra funestissimam Suecorum irruptionem percusso inter Catholicas partes sociali foedere, Duces, & capita Bello praefecerunt, ebiberat una cum lacte memorabile illud Magni Vvillelmi effatum propagini huic ex Testamento transmissum - *Orthodoxam nempe fidem vita sibi chariorem perpetuo futuram, neque se ullius periculi denunciatione, atque adeo mortis metu ab hac Sacra Anchora divellendum, tolerabiliorem fore Patriae jacturam, ac Bojorum Ducem potius quam fidem, animam amissurum* - Est igitur haec Bavariae Septemviris, & Scripta, & quasi cum ipsis nata lex, ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti videntur, ut non solum patriam Sedem ab omni Haeresis contagione praestent immunem, verum etiam ubicumque se dederit occasio, Catholici cultus exhibeant se assertores, & vindices. Quapropter ignoscite, obsecro, si praeteream, & missa faciam quaecumque ad privatam CAROLI Religionem spectabant, nimirum sacrorum frequentiam, singularem pietatem, qua rei divinae quotidie intererat, & Eucharistico pane saepius in anno reficiebatur, jejunia non solum

B statis

ſtatis temporibus, ſed quolibet etiam Virginis Matris pervigilio & Aulae indicta, & rigide ab ipſo ſervata, cujus quidem cultu ita fervebat, ut nullam ſineret praeterlabi diem, quin eam conceptis precibus ad calculos frequentandis quinquagies ſalutaret, neque magnum quidpiam aggrediebatur, quin ejuſdem celeberrimum veteris, ut vocant, Oetingani oppidi ſimulachrum pluribus milliaribus a Monachio diſſitum, confecto pedibus itinere, quaſi ad auſpicia capienda, venerabundus inviſeret. Praeteream quoque tres ad Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli limina peregrinationes, quatuor ad Lauretanam Domum, decretas ab eodem ad aras, & Templa ſupplicationes, aliaque pietatis officia, nec privatim intermiſſa umquam, & ſolemniter ad exemplum ſplendide culta, ut ad ea, quae publicam Religionis cauſam propius attingunt, mea convertatur Oratio.

Laborat, ut noſtis, in Germania Catholica fides cum externis, tum vero etiam domeſticis Hoſtibus. Imminet ampliſſimae Provinciae Turcarum Imperium, intimas partes contrariae torquent, & lacerant opiniones ſolemnibus Imperij foederibus ſuffultae, ac nixae: Externos ſi reſpicimus Hoſtes, duobus quae contra Turcas ejus aetate exarſerunt Bellis, Carolus in primo pugnavit, contulit ad alterum decem, & octo Hominum millia, licet nonnulla familiae diſſidia, inter ipſum, &

C A-

Carolum VI. jam erupissent: Sin vero domesticos, ecquis illum per se, vel per litteras, vel per Legatos Catholicae Religioni tuendae umquam defuisse culpabit? Testor vos Germani omnes, qui nunc adestis, testor Caenobitas, & Religiosas Virgines, testor Episcopos, aliosque Sacrorum Administros, testor unum, & alterum Apostolicae Sedis Legatum, num propositum, oblatumve laborem recusaverit umquam, vel interposita cunctatione declinaverit, vel aegro susceperit animo?

Ne autem acervatim universa perstringens praeterijsse magis videar, quam attigisse dicendo, memorasse sufficiat, quanta contentione, & nisu octo ab hinc annis restiterit in Comitijs Ratisbonensibus, ne quartus Risvvicensis faederis articulus aboleretur, quo sublato, quingentae & ultra Paroeciae in Rheni Palatinatu Catholicis propediem eripiendae forent. Cum rursum in Comitijs Francofordiensibus idem negocium ad trutinam revocaretur, induxerant aliqui in animum, Carolum Regni lenocinio movendum fore, ut in Caesareis pactis quidquam de suscepta articuli defensione minueret; Objiciebantur aliorum exempla, Sanctiones Imperij, injiciebatur electioni mora, timebant, trepidabant Catholici omnes, cum Tabellario adveniente juravit ex templo in publico consessu ejus nomine Legatus, Carolum nulla cupiditate, aut metu

perculſum praeconceptam omnem abdicaturum potius Imperij ſpem., quam a ſententia dimoveretur.

Vix Imperator deſignatus, quadraginta, & ultra Catholicorum millia, quibus Hamburgenſis Senatus publica Religionis conſuetudine interdixerat, ad priſtina Sacra reſtituit: Quam Fuldenſis ditionis partem Haeretici occupaverant, Caeſareo decreto vindicavit: Catholicos Adoleſcentes ſummo loco natos, qui non ſine periculo a patrijs laribus fuerant avulſi, revocavit: Pupillos, & Viduas, quae Religionis cauſa vexabantur, in clientelam recepit: Nutabat apud Hannoveram propagandae fidei negocium, patrocinio ſuo ſuſtentavit: Reſpuebatur anno proxime elapſo Romanum Kalendarium, tum propter incongruentes nonnumquam cum civili regula caeleſtium Sydèrum aſpectus, & motus, tum vero maxime quia faetus eſſet Romani Pontificis, pervicit tandem, ut omnium conſenſu in Kalendarium aſſumeretur Imperij, atque hoc unum, quod tanto operi Gregorij XIII. deerat, firmitatis robur, Benedicto cive ſuo Pontifice Maximo fuit adjectum: Rumor erat de Bonis Epiſcoporum in Saecularium cenſu adſcribendis, non ſolum Romano Antiſtiti plures, eaſdemque graviſſimas litteras dedit, quibus tam impium facinus reprobaret, ſed etiam in totius Europae conſpectu ſcripto, & ore teſtatus eſt, ſe

potius

potius *in ſumma rerum mendicitate vivere paratiſſimum , & pane , ac frigida ſuſtentaturum Auguſtam Domum , quam huic propoſito aſſentiri*.

Verum enimvero parum adhuc ad Catholicae Religionis utilitatem ſe contuliſſe putabat , niſi ejuſdem quoque reſtituendae , ornandae, augendaeque ſtudio flagraret. Quot enim Sacrarum Aedium extruendarum, reparandarumve curas periculoſae aleae plenas in ſe non receperat ? Quot de Catholicorum ſtudijs reformandis , & quammulta de Eccleſiaſtica diſciplina redintegranda conſilia non inierat? Quos ex Haereticis ad ſe venientes amantiſſime non excepit , non adjuvit , non honeſtavit ? Quos ſuaviter non invitavit , allexit , attraxit ? adeout (niſi meum teſtimonium audire vos pigeat) mihi etiam omnium humillimo illum apud Manhemium convenienti , ubi inter quatuordecim Palatini, ſui nempe generis, Orthodoxos Principes medius ſedebat, in primo fere occurſu hoc unum dixerit, domeſticae ejus felicitati deeſſe, quod Duces Bipontinos eadem ſtirpe progenitos neque ibidem adeſſe , neque ad antiqua ſacra rediiſſe videret.

Quod ſi tot praeclariſſimis pro re Catholica geſtis ejus celebratur Imperium tam brevi tempore exactum, quid facturus non erat , ſi diutius vixiſſet ? Si haec inter bellorum tumultus, quid in otio pacis ? Si haec ſummis un-

 dique

dique circumfusus molestiis, quid in amica rerum fortuna? Si haec obstrepentibus Catholici nominis Hostibus, quid ad ejus potentiam virtute assertam, & armis roboratam ne mussitantibus quidem? Quamvis fateamur oportet, eorum quamplurimos minus ipsius temporibus, quam alienis infensos fuisse: Norant omnes CAROLUM orthodoxae fidei addictissimum, tantaque erat animorum erga illum propensio, ut ne Caesari displicerent, minus quoque ejusdem Sacris adversarentur, vel ut placerent, Catholicae Religionis commodis favere aliquando viderentur. Oh numquam satis laudandam Principis pietatem: Oh numquam interiturum exemplum: *erudiantur, intelligant, qui judicant Terram*.

Neque his fuit tantummodo finibus ejus Religio circumscripta: Etenim hoc praecipuum sibi duxerat, ut Beatissimam hanc Petri Sedem, ejusque Vicarium & solida, & spectata pietate prosequeretur. Quoniam vero obtemperanti mihi BEATISSIME PATER ejus laudandi provinciam demandavisti, quaeso a Te, ut hanc mihi veniam impertias, si ex multis, quorum documenta in Apostolicis Scrinijs asservantur, nonnulla de te duriuscula delibavero, ne vitio mihi vertatur, & culpae, quod debitis eum laudibus in hac luctuosa celebritate fraudaverim. Vereor autem, ne quod excidit verbum, non perinde intelligi possit,

atque

atque ego ipse cogitans sentio: duriuscule, inquam, aliquando secum agere visus es, ut librata inter communes Filios paterna benevolentia, discordibus eorum affectibus dubium te, mediumque ad scrupulum usque praestares. Cum Pontificius ad Comitia Legatus Januario Mense ad plures Germanorum Aulas divertisset, licet Monachio proximus, atque, ut illac progrederetur, ratio itineris propemodum postularet, inde tamen consulto declinavisse videbatur; Venit tandem Kalendis Septembribus, aliquantulum sero, cum jam universis pene suffragijs consentientibus omnis Imperij spes ad Bavarum devolveretur, illum nihilominus honorificentissime CAROLUS excepit, eximiumque dexterae honorem detulit advenienti, licet Legatus haud gratulabundus accederet, sed ut meditata Belli consilia proposita pacis conditione sedaret, abrumperetque, licet Imperij Candidatus a nobis neque suffragia, neque pecuniae vim, neque militum copias expectaret, aut posceret. Cur recensere non possum, quae postmodum eidem Legato adjumenta praestiterint Bavari Legati, dum Caesari pacta conventa Francofurti conscribebantur, illud unum attigisse sufficiat, eorum opera factum, ut quae capita Romanae Curiae Magistratus directo vulnerabant, mitiora redderentur; at quo tempore, Deus immortalis, uno sane, eodemque, quo Pontifex palam ajebat-

ſuarum partium non eſſe hunc potius, vel illum Caeſarem petere, aut velle - cum regale Romanorum Solium jam conſcendiſſet, quamquam BENEDICTUS neque ſolus, neque primus, ſed dicam ne? (ſine obſecro, ne quid diſſimulem) quamquam BENEDICTUS in ipſo temporis intervallo, quo & Batavi, & Angli, & Moſchi, illum Romanorum Regem ſalutaviſſet, nihilo ſegnius nullum praetermiſit CAROLUS obſequij, & obſervantiae officium Romanae Eccleſiae, Romano Pontifici debitum, Apoſtolicae autem Sedis munera qua vel recuſata nonnumquam, qua diſſimulata, vel neglecta fuerant, ultro teſtatus eſt publicis ad Coetus Eccleſiaſticos datis litteris, & difficillimum opus quod Sacerdotium inter, & Imperium perpetua diſſidia concitaverat, amica pactione compoſuit.

Quae deinceps ſequuta ſunt, nonne principijs reſponderunt? Commendabat illi Pontifex Interpretes, & Adminiſtros, eorum opera, & miniſterio uſus eſt; mittebat cujuſlibet nationis eſſent, recepit; praeferri aliquos ex ſuis poſtulabat Clientibus Caeſaris in beneficiorum poſſeſſione adipiſcenda, praetulit; Illum vel monebat, vel ad pacem hortabatur, lubentiſſime ſemper audivit, eidemque omnes animi latebras, & receſſus aperuit. Quae cum Romae agerentur, Caeſar Francofurti neque Apoſtolicae Cathedrae, neque Apoſtolico Magiſtro minus indulgebat: Habuit hic quamplura,

plura, eademque graviſſima negocia definienda, potius quam Summo Sacerdoti moleſtiam exhibeat, vel ſilet, vel Pontificio permittit arbitrio: Confugiunt contra Benedicti mandatum ad ejus Dycaſteria Coenobitae, ejicit, atque eliminat: Interdicitur Apoſtolicis Nuntiis procuratio Pontificiae Jurriſdictionis, obſtat: Contendunt Magiſtratus Imperij nonnulla Clericorum negocia ad ipſos veteri conſuetudine deferenda, inſtrui, edocerique poſtulat, ut in conſilio ſederet, non modo tamquam Apoſtolicae Sedis re, & nomine Advocatus, ſed quaſi dixerim Procurator. Quae dum praedico, non ea recenſeo, quae rumor attulit, aut audivi tantum, aut legi, ſed quorum extant hic monumenta, quae hiſce oculis egomet vidi, quorum pars aliqua quantumvis minima fui; Etenim oculatus quoque Teſtis perſpexi, tantam illum Sacerdotio reverentiam praeſtitiſſe, ut in publici juris commentariis, quae egregio, & ſpei maximae ejus filio a clariſſimo Jureconſulto conſcribebantur, enixe curaverit, ne quidquam Romanae Eccleſiae Juribus, & ſanctitati contrarium admiſceretur.

Proh Deus immortalis, quanam aetate nunc vivimus? Cujus iſta ſunt tempora? Putaſne Innocentiorum II. & III. Martini, & Nicolai V. quibus Caeſares, atque Pontifices ad Chriſtianae rei ſalutem, & incrementum mutuis invicem officiis, mutuaque benevolentia

tia contendere videbantur? Sunt tua Benedicte, ſunt noſtra: Memorabitur quidem tuus iſte Pontificatus, & rerum antequam Pontifex eſſes, quaſi in tyrocinio geſtarum gloria, libris, & legibus ſcriptis, & maxima qua vivis parſimonia, & divina quadam virtute, qua vel amicitiae, vel cognationis charitati nihil indulgens, quocumque animi affectu intactus es, aut major; at multo glorioſius ſignabitur Caroli VII. nomine: in illis communem omnium doctrinam vincis, communia Hominum deſideria, ipſam quodammodo humanitatem exſuperas, in hoc vero infeſtiſſimos Romanae Eccleſiae hoſtes, pravas, atque perverſas opiniones, quae longe lateque Catholicum Orbem circumfluunt, ſuperaſti, Apoſtolicae Sedis jura ſarta tecta ſervaſti, reſtituiſti, roboraſti: Illa licet maxima, licet a paucis forſitan imitanda, Pontifex tamen ſolus efficere poteſt, haec autem, niſi comitem habeat Caeſaris pietatem, vix poteſt.

Illuxerant profecto nobis foeliciſſimi dies a majoribus noſtris tot precibus, atque lacrymis expetiti, quibus ſtabilis, & certa Sacerdotij cum Imperio concordia tandiu deſiderata apparere jam videbatur, bonique omnes Eccleſiae Catholicae gratulabantur, adveniſſe Caeſarem, cujus opera inſperatum hoc ingens Bonum non obtineri ſolum, ſed permanere diu potuiſſet; Verum hunc nobis Caeſarem importuna mors ſuſtulit: Vix illum ſuperi oſtenderant,

quum

quum ſubito rapuerunt. Ipſe quidem mortem illam, quam ſaepe in media acie contempſerat, Chriſtiana virtute fretus non horruit, ſed invicto eodem animo, quo tot adverſa pertulerat, Liberis in pientiſſimae Matris cura relictis, venia ab omnibus palam petita, etiam ab Hoſtibus, (quibus non odio ductus, ſed familiae charitate, & conſulentium ſtimulis bellum ſe indixiſſe teſtatus eſt) coeteriſque rebus, quae ad brevi morituros pertinent, ſancte compoſitis, mortem inquam immaturam, inopinatam, acerbam, placide, ſapienterque oppetiit. Ad cujus pulcherrimae non dicam amplius mortis, ſed migrationis, commutationiſque vitae laudem praeterire nequaquam poſſum, quod unctus ad extremum cum ageret animam, hoc ſolatij, antequam ſupremum clauderet diem, unice ſibi deeſſe affirmaverit, quod juvenilis aetatis errata in conſpectu omnium deprecari per ſe nequiret, atque a ſubjectis Populis, ut ſibi ignoſcerent, exorare, ſi quas illis offenſiones, & malorum irritamenta obtuliſſet; Quamobrem effuſus in lacrymas obſecravit a Filio, ut ſacri Concionatores per univerſam Bavariam hoc deprecationis officio, perinde ac ſi vivus ipſe, & praeſens adeſſet, ſuo nomine e pulpitis fungerentur: quemadmodum poſtea factum fuiſſe comperimus.

Equidem tibi gratulor Auguſtiſſime Caeſar, quod de ſaevo tempeſtatis aeſtu, & mediis flucti-

fluctibus in portum, atque de flebili Hofpitio ad plenam hilaritatis caeleftem domum te receperis; non eft enim cur dubitem, quin beata immortalitas fofpitem te, incolumemque exceperit: Vixifti fatis, fi non ad communis naturae curfum, & fecundam rerum fortunam, vixifti fatis ad virtutem, & gloriam fempiternam. Quantum mors vitae, fortuna foelicitati detraxit, tantum addidit Sapientiae, tantum aeterno, ut meus mihi auguratur animus, praemio pietatis. Facit autem ut ita fperem Chriftianiffima vivendi ratio, quam cum Sanctiffima Conjuge, quibufcumque amotis impedimentis religiofe fervafti, dum ad Imperij gubernacula federes; facit Chriftianum robur, quo tantas haufifti calamitates; facit fingularis cultus, quem orthodoxae Fidei, & Sedi Apoftolicae praeftitifti. Neque enim fine Divini Numinis voluntate evenerat, ut tanto pacis, & patriae ftudio nuper effes incenfus, patria potiebaris quidem, fed ita demum, ut non aliquis rurfum emigrandi metus accederet: Veneras in aliquam pacis fpem, fed incertam hactenus, longam, aleae, & falebrarum plenam; Utrumque defiderium mifericors, & mitiffimus magno cum foenore explevit Deus, tibique limen aeternitatis ingredienti, duo clariffima tui nominis lumina Henricum, & Cunegundem caeleftium fyderum incolas obviam arbitror prodiiffe dicentes, huc propera, haec eft

eſt Patria, haec eſt Pax, haec Corona tuis virtutibus debita.

Nobis quidem in maxima rerum viciſſitudine, atque trepidatione relictis, nova haec aliarum cumulo cauſa doloris, & luctus acceſſit, quandoquidem dum tota perſtrepit armis, & belli facibus ardet Europa, alia haec ſuper alia diſcordiae ſemina inter diſſidentes animos digladianteſque ſunt jacta. Quid igitur reſtat ad noſtri maeroris ſolatium, niſi & piis CAROLI Manibus ſacro ritu juſta perſolvere, ut ſi quae adhuc illi expiandae ſint maculae, CHRISTI SANGUINE detergantur, & DEUM OPTIMUM MAXIMUM magnis precibus obteſtari, ut quae ventura jam ſunt, fauſte adeo foeliciterque contingant, ut eorum, quae CAROLI VII. interitu praeterierunt, memoria, atque recordatione minus doleamus. Dixi.

